



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 11. in dæmones incarnatos, sive invidos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XI.

In dæmones Incarnatos, sive Invidos.

DOMINICA V.

POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo hoc fecit, Matth. 13: v. 28.

S. I.
Invidia
hominem
mutat in
dæmonem



Er inimicum hominē omnes interpreta-
mur diabolū, qui cur homo appelletur, rationem congruentissimā esse censeo; quia clypeum & nomina sua libenter cum homine mutat, qui dum propter sceleris cujusdam abominationem incarnatus dæmon appellatur, dæmon vicissim nomen saltē hominis sibi assumit, dicique vult *inimicus homo*. At quodnam illud peccatum est, quod execrandā metamorphosi hominem transmutat in dæmonem? cōmuni Patrum, quos audituri sumus, suffragio, Invidia est crudelis illa vipera, quæ (ut S. Augustinus sermone, 83. de tempore loquitur) illam ipsam causam à qua concepta est, consumit & perdit; fera illa pessima, quæ non tantūm Josephos devorat, sed quoscunque occupārit in malitiam diabolicam, ut sic dicam incarnat. hæc est illa trivenefica Circe, quæ Angelum in diabolum, hominē in Angelum Sathanæ transformat. hæc est illa furiarum maxima, quæ intolerabiliores gehennā ipsā dolores in cor invidi imprimit. Parum est invidiam appellasse *ulcus* cum Socrate, *putredinem ossium* cum Salomone, *ferram*, quā anima *finditur* cum Anacharsi, *tormentum*, quo majus Siculi; imò stigi non invenēre tyranni cum Horatio; quin

potiūs matrem omnium dæmoniorū appellemus, quæ genesi infau-
stissimā homines in dæmones regenerat: hoc enim nomine sinē injuria invidos insigniri, præsentī dictione demonstrabo, utinam tam feliciter, ut novam invidiæ materiam in majus eorundem suggeram tormentum.

Dæmonem ab homine expulsum petere loca deserta dixit Servator, docētque experientia in deserta potissimum loca dæmones ab exorcistis relegari, quæ sunt loca illa solitaria, quibus tantopere dæmon delectatur? invidi sunt, qui soli videri æstimarique volunt, oderrunt compares, despiciunt socios, superiorem tolerant neminem, solitarij sunt, sed erronei, errant in solitudine sua juxta illud Psaltis: *erraverunt in solitudine in inaquoso*: solitudo hæc superborum est, inquit mellifluus Doctor, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. in hæc solitudines migrat dæmon, nè soli sint, imò ut magis & *soli* & *soles* sint. invidus enim in solitudine sua sol esse vellet & fit Lucifer, quem alterum solem vocat Plinius. Lucifer in cælo sol alter affectabat esse similis videlicet Altissimo, idque ex invidia generis humani, ut docent eximij Theologi. Sed sicut Lucifer erravit in solitudine sua, cum sol esse vellet, & in lunam, stultitiæ symbolum abūt, cornibus

S. 2.
Solitudines quas dæmon incolit, invidos significat.

psal. 106. v. 4.

S. Bernardus ser. de fallac. præsent. feculi.

H

ar-

arrogantiæ insignitus, imò ex principelucis in tenebrarum principem degeneravit; similiter invidi, qui luce gloriæ & sapientiæ sol esse volunt, (quibus insigni ironiâ dicitur) *ergo vos soli estis homines & vobiscum morietur sapientia.* Job. 12.v.2. luciferi fiunt, lunæ fiunt, stulti fiunt, tenebriones fiunt, [*stultus enim in tenebris ambulat*] quos difficulter ab his tenebris & stultitia revocatos menti lucique reddideris, *erraverunt in inaquoso*, quia fontem lacrymarum & pœnitentiæ gratiam non inveniunt.

Ecclef. 2.
v. 14.

§. 3.
Invidia insanabile malum.
1. Joannis
5. v. 16.

Sicut enim peccatum dæmonis insanabile est, ita & invidorum est peccatum ad mortem, inquit dilectus discipulus, *non pro illo dico, ut roget quis.* quodnam illud peccatum adeò enorme, ut ægrè & perrarò ad sanationem perveniat, non quidem ex Medici defectu, qui sanare omnia scit & potest, sed ex pravis dispositionibus, quæ unà in anima peccatoris nascuntur, ideòque preces pro illo offerri vetet Joannes? Si Augustini stamus iudicio, hoc peccatum insanabile est invidia, quæ de coelestibus donis in proximo visis contrahitur; sic enim obtenebrat invidentem, ut videns non videat, & odio tabescens putet nihilominus à se proximum amari. Verba Hipponensis Oratoris sunt: *peccatum ergo fratres ad mortem puto esse, cum quisque oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam invidentiæ facibus agitur. illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnoscere & annunciare cogatur. quàm mentis affectionem jam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum Sanctum, id est per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare charitatem, quod peccatum Dominus neque hic neque in futuro*

August. lib.
1. de ferm.
Dom. in
monte.

seculo remittendum dicit. ex quo infert Basilius Magnus: invidiam non humanum sed diabolicum dici debere peccatum: *invidentia revera est propria diaboli affectio.* Invidiæ peccato Cain se obstrinxit, nec tamen post innumeras DE I cõmonitiones pœnituit sed majus esse peccatum suum iactavit, quàm ut veniam mereretur, an non diabolica hæc erat obstinatio? *invidentia revera est propria diaboli affectio.* Invidiæ peccatum Saul admisit, nec post crebram sceleris sui agnitionem, in gratiam cum Deo & David redijt, sed in pristina recidivus odia culpas culpis cumulavit, an nõ dæmoniaca hæc nequitia? *invidentia revera est propria diaboli affectio.* ex invidia Judæorũ populus authorem vitæ morte turpissimã affecit, nec tamen de sanguinaria cæde hodiè que indolet, sed quem sibi & posteris imprecatus est sanguinem, denudò sitit & quotidie effundere desiderat, *invidentia revera est propria diaboli affectio.* Non redeunt invidi ad mentem & frontem cum prodigo & Magdalena, nõ execrantur sordes suas ut Matthæus & Zachæus, non retractant blasphemias suas cum latrone crucifixo, sed quamvis doloribus inferni circumdentur, dolere tamen solubriter nesciunt, quamvis conscientia stimulis agitati & pœnis attriti innumeris, pœnitere nihilominus nolunt; quia Zelo invidiæ, ut Chrysologus de epulone loquitur ferm. 121. magis incenduntur, quàm gehennã.

Basilius
Mæg. Orat.
de odio.

Audet dicere Anselmus, longè facilius salvandos, qui parum bonorum operum exercent, sua tamen alijs favent merita, quàm qui eximijs pleni facinoribus invidiã in proximos taguntur: *magis puto ejus Salvationem sperandam, qui parum boni facit & benefactis aliorum favet, quàm illius, qui multa, & invidet.* Sis

§. 4.
Invidus
quovis alio peccatore scelestior.

Anselm.
lib. de similitud. c. 45.

An-

Angelo purior, quovis Patriarchâ fidelior, Prophetâ veracior, Apostolo ardentior, Martyre tolerantior, Confessore vigilantior, si proximo bonum, quod minus vel majus tuo habet, non faves, factus es quovis scortatore & prædone & sacrilego sceleratior. non mea hæc, sed Chrysofomi est oratio: *ob hoc certè (invidiæ crimen) ut signa quis edat, ut virgo permaneat, ut sobrius sit, ut humi etiam decubet, atque ejusmodi virtutibus vel ad ipsos Angelos accedat, omnium tamen sceleratissimus fuerit; hoc vitio invidiæ si laboraverit, & adultero & scortatore & prædone & sacrilego iniquior.* Insinuavit hanc veritatem Salvator, cum multos ab oriente & occidente venturos asseruit, qui cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum recumbent, filijs regni in tenebras exteriores eiectionis. quam parabolam expendens orator aureus ob invidiæ peccatum filios regni proscriptos, idololatrias verò & sceleratissimos alios nebulones invidiæ minus obnoxios ad regnum & epulum esse admittit agnoscit: his profectò de causis fornicatores & publicani ad cœlos ascendere potuerunt, obscœno autem invidiæ laborantes malo, à regno cœlorum exciderunt. Non ergo desperet adulter, raptor, sacrilegus, dummodo invidus non sit; desperet devotus, munificus, abstemi-
 us, aliisque operibus pietatis additus, nisi invidus esse desierit. Sive miseraris, sive vigiles, omnium es scelestissimus, cum invides fratri & hoc illinc est manifestum. quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & brevi correctus, Abeli Cain invidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius ulceri curam afferente magis intumescibat, & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ità hoc vitium illo pejus est, nec medicinæ, quam-

cunque adhibuerimus, facilè cedit. Hæc ad verbum Chryostomus hom. 44. cur verò medicinæ non cedat, causa unica est, quia invidia diabolicum peccatum.

Invidiam vocat S. Cyprianus *calamitatem sine remedio*, D. Chryostomus *ignem inextinguibilem*, S. Bernardus *mortem vitalem*: ubi invidia, ibi mors: non potest simul invidere & vivere. magis vixit, etiam post fata Abel quàm Cain, illius enim sanguis vitali voce clamavit, hujus verò vox & vita, mera mortis imago fuit: omnis qui invenerit me occidet me, non potes invidere & vivere.

Gloriatur vas electionis Paulus vitam suam absconditâ esse in Christo: *vivo autè jam non ego, vivit verò in me Christus*. invidus è contrà dicere habet: vivo ego jam non ego, vivit verò in me dæmon. in dæmone omnino vivit omnis invidus, quod ità demonstrat Basilus Magnus orat. 1. *si Deus, uti Joannes inquit, charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo, ipsa invidia dæmon sit oportet, ut igitur, qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet; ità qui invidiam fovet dæmonè haud dubiè in seipso nutrit atque alit.* Si dæmonem alit, alit & infernum incarnatus revera dæmon, ac pœnitentium illud repetere potest: *dolores inferni*, vel ut Augustinus legit, *dolores invidentiæ circumdederunt me.* fugiamus itaque invidiam, præclari illius moniti, quod Veronensis Martyr D. Zeno dedit, nunquam non memores: *fugiamus invidiam obstaculum regni cœlorum, viam gehennæ, pignus & primitias quasdam pœnæ perpetuæ.*

Vidit aliquando D. Brigitta animam damnati, juxta quam dæmon stabat, quia similis simili gaudet, & noscitur ex socio. Anima porro damnati ità Deum alloquebatur: quàm-

§. 5.
 Invidia est diabolicum peccatum.
 Cypri. orat. de liv.
 Chryost. hom. 34. in Ioan.
 Bernard. ep. 7.

Gal. 2. v. 20.

ep. 1. c. 4. v. 16.

ps. 17. v. 4.

Brigitta apud Bened. Fidel. ser. 20. quadrum. 12.

Chrysof. homil. 7. ad Rom.

Matth. 9.

vis possem salvari, non vellem, nè tu consolationem & gaudium haberes de me. Cujus dicto annuens & consonans dæmon ajebat: talis est etiam mea voluntas, quam visionem illusionis carere periculo ex Evangelica confirmor parabola, ubi audio fratrem seniore non patrem domum ingredi, quia in ea fratrem minorem è longinqua regione reducem epulari ac jucundari videt, invidetque. *Senior dicitur*, inquit S. Ambrosius in Luc. 15. *eo quod per i. vidiam citò aliquis senescat*, ut inveteratus malorū dici possit, ingredi domum patriam recusat, quia non vult fratre non pereunte salvari, inquit epl. 46. Hieronymus, invidet dæmon homini, invidet homo consolationem & gaudium Deo suo, ad eamque invidendam suo dæmonem excitat exemplo: talis est etiam mea voluntas. ô maledicta in omnes æternitates voluntas! ô vox digna, quam non nisi dementissima malignissimâque creatura proferat, nolle favere Creatori consolationem ex objecto misericordiæ, & nescire, non posse nihilominus justo Judici tolli consolationem ex objecto justitiæ.

§. 6.
Homo
invidus dæ
mone pe-
jor.

Perquam ingeniosè adnotavit Ethnicus Plutarchus de odio & invid. tom. 1. neminem hominum esse, qui de hoc scelere gloriatur, sed de quovis alio potius, quàm de invidia: *in-videre se omnes negant*. gloriatur, licet in rebus pessimis, prædas & cædes commissas, exaggerent, adulteria propalent, fraudes & odia detegant, at invidere, se omnes negant. & quamvis palpabilis eorum sit invidia, & pueris lippisque tonforibus nota, invidere tamen se negant. quod si quis eis ostendere conetur, inquit ulterius Plutarchus, mille excusationes afferunt hujus affectionis nomen obumbrantes, quasi hæc sola animi

ægritudo celanda sit. Cur celant invidi morbum, cur negant livorem suum? quia morbus est non hominum sed dæmonum, nec homines ipsi appellandi sunt, sed incarnati dæmones. Quid dixi dæmones? non est simplex dæmon, quisquis invidet; sed immanis archidæmon, & quovis dæmone deterior; utrumque asserit Chrysostronus: *pestiferum malum invidiæ hominem in diaboli conditionem & in dæmonem immanissimum convertit*, immanitatem inde collige, quia dæmon dæmoni non invidet sicut homo homini: *invidet Satan sed hominibus, socio autem nemini, tu verò homo cum sis, hominibus in-vides*, fratribus & membris tuis invides, tibi ipsi immortale bonum, quod è proximorum dilectione participaturus eras, invides, an non dæmone deterior? bene proinde subjungit Chrysostronus: *invidus ipso diabolo magis diabolus est*. Deinde invidus dæmonem, etsi hic vellet, quiescere non permittit, sed ex alijs ad alia damna humano generi inferenda excitat juxta illud Jobi c. 3. v. 8. *parati sunt suscitare Le-viathan*. bono videri dæmon posset, nisi continuo urgeretur ab invidio, & circuire ad quærendum, quem devoraret, juberetur. Spiritus Domini malus dicitur ille, qui Saulis invidiam plectere, jussus est, quasi dæmon vocari possit bonus, qui homini invidio non componitur. Invidia dæmonis dæmon. Quid Angelum pulcherrimum in turpissimum deformavit, dæmonem, docuit ferm. 148. Chrysostronus, invidia scilicet, ob quam diabolus esse maluit, quàm hominem paulò minoratum ab angelis videre. Vidit enim, ut homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret; sed hæc omninè esset homo Angelus qui inter primos habebatur invidit, maluitque

Chrysostr.
hom. 41. in
Matth.

1. Reg. 16.
v. 16.

que in diabolum commutari, nè hominem plenum gloriâ sic videret. Hæc sermonis aurei Orator. Mutavit ergo invidia Angelum in dæmonem, quidni commutâset & hominem & quidem in immanissimum & nequissimis nequiores.

Sed quid mihi cum incarnatis hiscè dæmonijs frustraneus tamdiu sermo est? ad pœnitentiam eos moveam & emolliam? scilicet. ubi Lucifer respuerit, ad malam eos crucem ire jubeam? jam sunt in pessima. ab invidia eos dehorte tanquam malorum omnium pessimo? imò ad invidiam adhortabor, ut magis tabescant & urantur. Invidete ô Invidi omnibus, at nemo vobis. quidquid aspicitis, felix faustum fortunatumque sit, ut infelicitatis vestræ cumulus augeatur. videte peccatores, fremite, frendite, tabescite, salvari nolite, nè ex salute vestra

Deus gaudium, sed ex tormentis vestris honorem habeat & solatium. utinam vel invitos in medio Angelorum & Cherubinorum collocare vos mihi liceat, non ad solatium, sed tormentum vestrum; credo enim D. Antonio Paduano docenti: *magnam pœnam faceret Deus in vido, si ipsum poneret in gloria paradisi, inter Angelos nimirum animasque beatas.* ideo & fratres vestri in aëre hærrere permittuntur neq; carceri stygio mancipantur, ut invidiâ magis, quàm gehennâ affligantur. S. Bernardum docentem audio: *diabolus in pœnam suam locum in aëre medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat & invideat, ipsâque invidiâ torqueatur.* Videte & invidete, tabescite & inardescite amplius amplius! nunquam

S. Anton.
Pad. ser. 4.
post Dom.
Passionis.

fatis.

* * *



PHILIPPICA XII.

In malè fermentatos seu Impatientes

DOMINICA VI.

POST EPIPHANIAM.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Simile est regnum cœlorum fermento Matth. 13: v. 31. & 33.

S. I.
Sicut cœlorum, ita & inferorū regnum sinapis & fermento simile.



Vemadmodum regnum cœlorum simile est grano sinapis & fermento, ita & fermento granoque sinapis simile est regnum inferorum, Simius enim Dei dæmon regnum suum ad eam formam ac similitudinem instituitre satagit, quâ regnum gloriæ præparari ac reformari ab Homine Deo

animadvertit. minimum est sinapis granum, minimum se cum Paulo quisque electus reputat; reprobis pariter quodlibet peccatum pro minimis habet, & à minimis incipit; ut ad maxima perveniat. granum sinapis cum teritur, accenditur; electi cum patiuntur, inflammantur cum Laurentio; reprobis dum adversitate quâpiam teruntur, impatientiâ æstuant & latitantem in

H 3

pe-